

De Ciceronis in orationibus facetiis.

Quintilianus inter Demosthenem et Ciceronem, quanquam urbanitatem in utroque fuisse iudicat, tamen hoc interesse dicit, quod Demostheni risus movendi facultas defuerit, Cicero autem non solum extra iudicia, sed in ipsis etiam orationibus habitus sit nimius risus affectator. Ac Plutarchus in eorum comparatione Ciceronem irridendi cupiditate usque ad scurrilitatem provectum esse et in causis non satis decori rationem habuisse dicit, immo vero etiam illa dicacitate multos laesisse et famam malitiae contraxisse. Ipse vero Cicero illa facultate sua ita gloriatus est, ut sibi, si acute aut facete dictorum offensionem effugere vellet, famam ingenii abiiciendam diceret (ad fam. IX. 16.). Quantum autem iam aequales eius urbanitati et argutiis tribuerint, vel inde cognosci potest, quod ipse et in Planciana circa a. 700 a. U. et ad fam. VII. 32 aliquot annis post conqueritur, multa, quae non dixisset, in se conferri; itaque Volumnium reprehendit, quod „parum diligenter possessio salinarum suarum ab illo procuratore defendatur. Pugna, inquit, nisi — — *ἐντεχνα* et arguta apparebunt, ut sacramento contendas mea non esse“. Contra Caesaris (qui voluminibus suis *ἀποφθεγμαίων* etiam Ciceronis dicta inseruisse videtur), acre in eligendis apophthegmatis iudicium laudat. „Audio, inquit, Caesarem, si quod afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reicere solere.“ Quid mirum igitur, si iam vivo Cicerone facete ab eo dicta collegerunt, ut primus C. Trebonius fecit, is qui postea inter Caesaris percussores fuit, cuius librum libentissime se legisse Cicero a. 707 scripsit (ad fam. XV. 21. cf. XII. 16.). Praeterea certe usque ad Macrobianae aetatem (circa a. 400 p. Chr.) extabant III libri de jocis Ciceronis, ab eius liberto Tirone scripti, quorum et Quintilianus VI. 3. 5. et schol. Bobiense ad Sestianam LXIV mentionem fecit, sed ille dubitans, num ii vere a Tirone profecti sint, et reprehendens, quod plus studii in congerendis, quam iudicii in eligendis dictis sit adhibitum.

Videamus igitur primum quid Cicero de toto jocandi genere iudicaverit, deinde qui sales eius orationibus aspersi extent.

I.

Ciceronis de facetiis praecepta.

Ipse igitur in librorum, qui sunt de oratore, primo, cum quae oratori futuro discenda sint, enumerat, libandum esse dicit ex omni genere facetiarum quendam leporem, quo tanquam sale perspergatur omnis oratio; in secundo vero libro C. Julium Caesarem

Strabonem, quo nemo unquam urbanitate et lepore conditior fuit, facit de facetiis disputantem. Atque totum illud risum movere leve, sed plane oratoris esse ac multum sales et facetias in dicendo valere dicit, quod hilaritas oratori benevolentiam conciliet aut admirationem, aut frangat et impediatur adversarium, aut tristitiam ac severitatem mitiget odiosasque res saepe, quas argumentis dilui non facile sit, ioco risuque dissolvat. Addit autem quasdam cautiones: diligenter videndum esse oratori, quatenus ridicula sint tractanda: nam nec insignem et scelere iunctam improbitatem nec rursus miseriam insignem risu esse agitandam. Pariter in Orat. 26, 88. ridiculo uti vetat oratorem in calamitatem, ne inhumanum videatur, aut in facinus, ne odii locum risus occupet. Itaque facillime ea ludi putat, quae neque odio magno neque misericordia maxima digna sint, et materiem esse omnem ridiculorum in istis vitiis, quae sint in vita hominum neque carorum neque calamitosorum neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videantur; esse etiam in deformitate et corporis vitiis, sed hoc maxime in genere diligenter videndum, quatenus deceat. Duo autem esse vult genera facetiarum, quorum alterum re tractetur, alterum dicto. „Haec igitur sit prima partitio: quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in verbo facetias; maxime autem homines delectari, si quando risus coniuncte re verboque moveatur.“

Quaerendum igitur est quid sibi velit illud „re tractari“. Re autem est primum id ridiculum, quod ex quadam imitatione et maxime quidem ex depravata sumi soleat, cum eius, de quo narres, mores, sermo, vox, voltus, gestus exprimuntur; quam imitationem, si nimia sit, esse mimorum dicit et oratori parce adhibendam. Hoc ridiculum igitur fit ita, ut orator non verbis describat, sed aut sui corporis motu gestuque eum, cuius vitia exprimere vult, imitetur, aut alio quodam modo (velut imagine proposita et oculis subiecta) risum moveat. Huius imitationis, etsi oratoria esse potest, in scriptis orationibus exemplum extare aut cognosci non potest; itaque ea omissa, quas facetias Cicero praeter eam in re positas esse dicat videamus! Pertinet enim huc id genus facetiarum sive leporis, quod est aequabiliter in omni sermone fusum (cavillatio, perpetua festivitas, facetiae proprie dictae), cum aliquid tanquam aliqua fabella narratur, sive habes vere quod narrare possis, quod tamen est mendaciunculis aspergendum, sive fingis; describuntur igitur hominum mores et ita effinguntur, ut re narrata aliqua quales sint intelligantur; nam „narrare quae salsa sint inprimis subtile est et oratorium“ Quint. VI. 3. 39. In re autem, non in verbis posita est salsa narratio, quoniam id, quod, quibuscunque verbis dixeris, facetum tamen est nec mutatis verbis salem amittit, re continetur. Ad hoc genus adscribendae sunt etiam narrationes apologorum et collationes aut ex historia aut ex similitudine tractae et illa, quae minuendi aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur, et dissimulatio, cum tota oratione severe ludis, cum aliter sentis ac loqueris aut cum honesto verbo vitiosa res appellatur aut ex alterius oratione aliud excipis atque ille volt, aut non videris intelligere quod intelligas et quasi per dissimulationem (non intelligendi) subabsurde salseque dicis. Sequuntur nonnulla ridicula, quae a Cicerone exemplis magis illustrantur, quam definitione explicantur, sed haec tam singularia sunt, ut in certa genera describi non possint. Itaque Cicero facetias eas, quae sunt in re et sententia, his generibus contineri dicit:

- 1) expectationibus decipiendis (Unerwartetes) 284.
- 2) naturis aliorum irridendis (komische Charakteristik) 264.
- 3) naturis ipsorum ridicule iudicandis (witzige Selbstverspottung).
- 4) similitudine turpioris (Karrikatur) 266.
- 5) dissimulatione (Ironie) 269.
- 6) subabsurda dicendo (scheinbar einfältige Äusserung).
- 7) stulta reprehendendo (Geisselung der Thorheit) 280.

Venio nunc ad alterum genus facetiarum, quod verbi ratione et vi continetur, peracutum et breve, dicacitatem, de qua agitur de or. II. 60. 244., sive ridiculum quod est in celeritate atque dicto, in jaciendo mittendoque ridiculo (or. 87.), quod verbi aut sententiae quodam acumine movetur, quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem; Quintil. 6. 3. 43 jaculationem verborum et inclusam breviter urbanitatem vocat. Dicacitas autem, oratori cavendum est, ne scurrilis videatur; nam etiam scurrae sunt dicaces, sed hi, ut ridiculi videantur, nec temporis nec personae rationem habent: dicacitatis igitur moderatio et raritas dictorum distinguit oratorem a scurra. In verbo igitur posita sunt 1) in primis ambigua, cum vis verbi ad aliud atque ceteri accipiunt, ducitur. Hanc ambiguitatem Quintilianus nominat amphiboliam et pervenire usque ad aenigma dicit, cuius exemplum affert ex Ciceronis pro Fonteio oratione.

- 2) cum aliud expectamus, aliud dicitur (*ἀπροσδόκητον*). Quodsi admixtum est etiam ambiguum, fit salsius;
- 3) quae habent parvam verbi immutationem (*παρονομασία*, annominatio);
- 4) interpretatio nominis, cum ad ridiculum convertis quamobrem ita quis vocetur;
- 5) saepe versus facete interponitur, vel ut est, vel paullulum immutatus aut aliqua pars versus: item proverbia;
- 6) cum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare;
- 7) quae aut ex immutata oratione ducuntur (*ἀλληγορία*, Quintil.: inversio) aut ex unius verbi translatione (Metapher);
- 8) aut ex inversione verborum (Quintil.: illusio, Ironie)*);
- 9) verba relata contrarie (*ἀντιθετα*).

Ex his quae dixi generibus in epistola ad Volumnium data (VII. 33) commemorantur: *ἀμφιβολία, παράγραμμα, παρὰ προσδοκίαν*; — *ὑπερβολή* autem (sive illa quae augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur) pertinet ad ridiculum quod est in re positum.

Haec fere sunt quae Cicero de facetiis explicavit, partim fortasse ex Aristotelis et Theophrasti libris qui sunt de ridiculis sumta; eaque illustravit exemplis, quae maxime ex Crassi orationibus aut Catonis apophthegmatis delegit, non quo iocandi rationem quandam et artem traderet, sed ut ea quae sicut in ceteris rebus, sic etiam in hac aut natura aut studio aut exercitatione fierent, aut recta esse aut prava doceret.

*) Etiam in perpetuis facetiis ironiae est mentio facta, sed haec, de qua nunc dicimus, in dicto est posita, non in re.

II.

Sales orationibus aspersi.

Videamus igitur quemadmodum ipse illa praecepta in orationibus quae extant secutus sit. Nam, cum libros de oratore a. 699 a. U. scriberet, ea, quae his libris praeceperat, in dicendo et jamdiu tractaverat et tum ipsum multum tractabat. Quodsi haec quae in orationibus extant ad ea quae invenimus praecepta et doctrinam non omnia referri possunt, primum omnibus numeris absolutam et plane descriptam artem non tradidit, deinde ipse natura sua vel ultra eos, quibus rectum usum circumscripsit, fines est proventus, tum quaedam ab eo ridicule et iocose dicta sunt, quorum interpretatio nunc aut incerta sit aut nulla; denique multis locis compluria ridiculi genera simul insunt.

A.

Ac primum perpetua illa in narrando festivitas sive facetiae aequabiliter in omni oratione aut in maiore orationis parte fusae apparent:

p. Rosc. Am. 56. 57 cum accusatores cum canibus et anseribus comparat, 59 cum Erucii in accusando negligentiam describit, qui 82. ex aliena oratione declamare videretur, quam in alium reum commentaretur;

cum p. Rosc. Com. 20. Fannii Chaereae faciem describit, qui idcirco „capite et supercilliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur“ et mores cum lenonis Plautini persona confert, quem Roscius praeclare in scena tractet, et 49 Cluvium, virum gravissimum, ad mentiendum atque peierandum colloquio admodum ridiculo a probissimo viro Roscio moveri fingit;

cum in div. in Q. Caec. 45. Q. Hortensii in partiendo artem et „divisionem in digitos diductam“ (Quint. IV. 5. 24) (ut Verr. III. 49. eiusdem jactationem cerviculae) leviter perstringens accusationi Caecilii, ex veteribus orationibus et magistri ludi libro compositae, minatur perniciem fore;

cum Verr. III. 76. Verrem decumas mulierculis aequae ac Persarum reges uxori- bus civitates attribuisse narrat.

Verrina IV vero tota fere constat perpetuis facetiis, quibus dictorum sales sunt aspersi cf. inprimis quae narrat de Cibraticis canibus, qui cum majus artis opus venari non poterant, minora pro lepusculis capiebant (47), aut de cena, in qua elegantissimus atque eruditissimus homo quasi festivum acroama, ne sine corollario discederet, emblemata evellenda curavit (49).

In Verr. V vitam ejus luxuriosam et inertem describit et boni imperatoris ex mulierum morsu cicatrices cum Aquilii vulneribus, novum monstrum cum vetere in iisdem locis Scyllae, Charybdis, Cyclopum immanitate comparat.

P. Caec. 41. Aebutius, 27 testes P. Caesennius, auctor fundi, non tam auctoritate gravi, quam corpore, et S. Clodius Phormio „nec minus niger nec minus confidens quam ille Terentianus est Phormio“ paucis verbis (cf. Quintil. VI. 3. 56), denique Falcula, exemplar antiquae religionis, isque brevi narratione depinguntur, 54 eorum, qui leges

ex verbis intelligunt, non ex voluntate, stultitia irridetur, ubi etiam 61 si quis per calumniam quaerat, num fustes aut saxa in armis numeranda sint, id „armorum iudicium“ esse dicit, Pacuvii fabulam significans.

Oratio pro Cluent., quanquam in causa magis odio quam risu digna versatur, habet quaedam iocosa, ut 58 ineptam Ceparii defensionem, qui cum iudices respicere C. Fabricii senectutem iussisset, ipse respiciens iam C. Fabricium a subselliis demisso capite discessisse videt (Quint. VI. 3. 39) et 72. Stajeni fraudem.

In or. II de lege agrar. 13. P. Rulli, cum is tribunatum adisset, mutatus aspectus et orationis obscuritas (Quint. V. 13. 38. et VIII. 4. 28) et 53 eiusdem insolentia, qua Pompeio imperaturus videretur, ridetur.

In Cat. II. 21. relictorum a Catilina sodalium postremum genus (manicatis et taralibus tunicis, velis amicti, non togis etc.) describitur.

P. Mur. 25. inepta formularum et actionum tractatio iureconsultorum et enuntiata fastorum mysteria, 61 asperior Stoicorum doctrina et praecepta et paradoxorum ineptiae perstringuntur*).

P. Flacc. 41. D. Laelius accusator arguitur „homini Phrygi, qui arborem fici nunquam vidisset, fiscinam ficorum obiecisse“ tanquam edaci bestiae, ubi Schol. Bobb. notat: „quasdam criminationes non pugnaci argumentatione, sed festiva urbanitate dissolvi“; 70 subscriptor accusationis Apulejus illuditur, qui annos iam triginta in foro versetur, sed tamen in Pergameno, qui unis vestimentis tam diu lautus sit, qui, ut ex Catonis praecepto „pedibus compensaret pecuniam“, longe a Tiberi ad Caicum agros emerit, cui cum coronam auream Pergameni litteris imponebant, non plus auri quam monedulae committebant; 65 denique Asiatici testes irridentur. Alium in eadem Flacci causa iocum Macrobius II. 1. 13. commemorat, quem tamen in oratione non extare dicit.

Magnam cavillandi materiam Ciceroni in sequentibus orationibus p. redit., p. Sest., postea in Pis. Piso et Gabinius praebuerunt, quibus consulibus se ex urbe eiectionem indignabatur, quos p. Sest. 18. et in Pis. 22. describit, Gabinium calamistrata coma, puteali et faeneratorum gregibus inflatum etc., Pisonem terribilem aspectu, vestitum purpura plebeia ac paene fusca, capillo ita horrido, ut Capua — Sephasiam sublaturus videretur. Maxime autem Pisonis supercilium, quod ille mirifice movisse et frontem contraxisse videtur, illudit, non solum p. Sest., quum eo supercilio tanquam vade annum niti visum esse dicit, sed etiam in Pis. 1. 20. 70. inprimis 14: interrogatum quid sentiret de consulatu Ciceronis, eum respondisse „altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio“. Colore autem fusco eundem fuisse probabile est, quod „ad honores obrepsit commendatione fumosarum imaginum, quarum simile habebat nihil praeter colorem“. Quibus verbis praeterea in Pisonem atque Gabinium invectus est, ea in convicio, quam in salibus numerare malim; festiva autem sunt sapientiae Epicureae praecepta, quibus Piso genero suo Caesari cupiditatem triumphii comprimere ac restinguere iubetur 59 et narratio reditus ex provincia 55. 61.

Sed redeo ad Sestianam, in qua narrat, quemadmodum Q. Numerius Rufus, mulionia paenula arrepta, messoria corbe contactus, gemini nominis errore servatus sit

*) Quo audito M. Porcius Cato dixisse fertur: quam ridiculum habemus consulem.

(82) et quemadmodum Appius Claudius praetor, cum cotidie gladiatores spectaret, sub tabulas subrepserit et subito emergerit, ut latebrosior illa via Appia iam vocaretur (126); denique 110 Gellium Poplicolam describit. Vatinium „hominem, ut Seneca dicit, natum et ad risum et ad odium“, non solum in Sestiana 135 propter corporis deformitatem et strumam irridet, cum eum „gladiatorum suorum ipsum pulcherrimum fuisse“ et pestem aliquam tanquam strumam reipublicae exsecandam dicit,

sed etiam in Vat. 4 cum serpente comparat inflato collo, tumidis cervicibus e latibulis prorumpente; etiam 10 „ista quae inflata sunt rumpantur“ scholiastes de „cervicibus quae immodicum fuerint corpulentae“ interpretatur, denique 39 ioco quamvis frigido tam invisum esse dicit, ut „strumae ab ore improbo demigraverint et aliis iam se locis collocaverint“.

In or. p. Cael. adolescentem illum, quem accusator pulchellum Jasonem appellaverat, conqueritur, quod migratione ad Palatium vicinus atque amicus Clodiae, Medae illius Palatinae, factus sit, versibus ex Medea Enniana allatis. Eandem Clodiam ut obiurget, aliquem ab inferis excitat ex barbatis illis „non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statu is antiquis atque imaginibus videmus“, Caecum illum ex ipsius familia, qui „minimum dolorem capiat, quod istam Clodiam non videat“ (33), tum removet illum senem durum ac paene agrestem, et fratrem facit colloqui cum ea, ne Caelio, a quo respuatur, molesta sit. Caelium denique in Caeciliani alicuius patris persona increpat (37). Narrat etiam, quemadmodum Quadrantariae istius mulieris amici ad Licinium deprehendendum in balneis delituerint, et quaerit „alveusne ille an equus Trojanus fuerit, qui tot invidos viros muliebri bellum gerentes tulerit et texerit“, cumque Licinius in fugam se coniecisset, mimi illum exitum fuisse dicit, non fabulae.

In Planciana 75 ut doceat ea, quae in provinciis fiant, vix Romae audiri, narrat se Puteolis paene concidisse, cum decedens provincia interrogatus esset, num Romae quidnam novi esset, et 83 lepide ea, quae ab accusatore in consuetudinem miserabilium epilogorum suam congesta sint, refutat.

Miloniana nihil iocosi habet, nisi quod 60. narrat, qualis servorum quaestio fuisse credenda sit, et 33. Sextum Clodium librarium legum ex turba nocturna tanquam Palladium extulisse dicit et ibidem totum se dicere audere negat: „moveret me quippe lumen curiae“.

In Philippicis ex hoc facetiarum genere non multa inveniuntur, nisi huc refertur in II. 77. Antonii redeuntis ex Gallia reditum ad mulierem et in XI. 13. descriptionem sociorum, velut P. Decii, qui majorum exempla persequens pro alieno se aere devovit, ex quibus sociis nonnullos etiam XIII. 26. joculari cognomine aut contumelia aliqua designat, ut Bestiam corycum laterum et vocis suae appellat.

In hoc genere numerandae sunt etiam fabellae, quae insertae sunt orationibus: p. Arch. de malo poeta, cui Sulla praemium tribui iussit ea conditione, ne quid postea scriberet,

pro Imp. Cn. Pomp. de L. Philippo, qui Pompeium non pro consule, sed pro consulibus ad bellum mitti voluit cf. Phil. XI. 18.,

pro Cluent. de L. Crassi recitatione initiorum librorum, quos M. Brutus de iure civili reliquit (cf. de or. II. 223),

p. Planc. 33 de praeconis Granii asperioribus facetiis, quibus saepe clarissimos viros perstrinxit.

Haec fere sunt, quae ex priore facetiarum genere ex Ciceronis orationibus possim afferre; in reliquis orationibus nihil ejusmodi inveni. — Venio nunc ad

B.

alterum genus, quod dictis sive verborum salibus continetur; in quibus exponendis non temporum, quibus orationes habitae sunt, ut supra, rationem, sed quantum fieri poterit, eam quam Cicero ipse proposuit distinctionem atque intra singula genera rationem temporum sequar: id quod ante ducentos annos Vavassor „de ludicra dictione“ nondum factum mirabatur, nec tamen ipse fecit, ut praeceptis Ciceronianis subjiceret exempla, non aliunde, quemadmodum Cicero ipse fecit, sed ex eius orationibus petita. Attamen non omnium, quae supra attuli, generum exempla extant in orationibus; nam quaedam dictorum genera, quanquam sunt oratoria, tamen natura fert, ut magis in altercatione et in interrogatione testium adhibeantur quam in longioribus orationibus, de quibus solis nunc ago.

1) Ambigue sive cum amphibolia dicta sunt haec:

p. Quint. 11: Sex. Naevius, praeco, qui cum ei natura nihil melius quam vocem dedisset, vocem in quaestum contulit. Is qui vocem venalem habuerat, ea, quae voce quaesiverat, magno sibi quaestui fore putabat. Itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat.

p. Rosc. 57: Litteram illam (K), cui vos usque eo inimici estis, ut etiam Kalendas omnes oderitis, — — ad caput adfigent. ib. 80. nescimus per ista tempora eosdem fere sectores fuisse collorum et bonorum? (Schnitt gemacht an Hälsen und Gütern.)

ib. 100: habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum minorem annis sexaginta de ponte in Tiberim dejecerit.

Duplici „nudi“ significatione utitur in Verr. II, 154: fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat: ipse autem ex equo nudatam ab se provinciam prospicit, cf. IV. 143: in qua curia statua tua stabat et nuda filii, in ea nemo fuit, quem ne nudus quidem filius in nudata provincia commoveret? p. Flacc. 51. quem tu — — — quoniam te nudus delectarat, semper nudum esse voluisti (et avaritia et impudicitia probro datur). Aequae „purus“ in Verr. IV. 49 ambigue dictum: argentum Eupolemus (Verri) purum (sine emblematis) apposuerat, ne purus ipse relinqueretur;

Verr. II. 54. Nunquam vos praetorem tam palaestritam vidistis. Verum ita palaestritas defendebat, ut ab illis ipse unctior abiret; 64. homo non alienus a litteris: itaque eo iste tabellario semper usus est. (iocus e duplici significatione vocis litterarum = Brief et Wissenschaft).

II. 170: Hoc erat etiam capitalior (perniciosior; caput = Capital) quod idem pecunias his — — faenori dabat.

III. 84: A. Valentius est in Sicilia interpres, quo iste interprete non ad linguam Graecam, sed ad furta et flagitia uti solebat.

IV. 43: equuleos argenteos — — aufert. Imprudens huc incidi: emit enim, non abstulit: nollem dixisse: iactabit se et in his equitabit equuleis.

IV. 139: neque postulandum fuisse, ut (Verres) palaestritas diligeret, qui etiam inventorem olei deum sustulisset (Aristaei simulacrum).

pro Font.: Plaetorii matrem, dum vixisset, ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse. Quod dictum Quintil. VI. 3. 51. tanquam exemplum ambiguitatis affert et ita explicavit, ut dum viveret, infames feminae eius domum tanquam ludum frequentasse, post ejus mortem bona ejus per magistros (i. e. viros a praetore propter aes alienum auctionem habere iussos) veniisse dicerentur.

de lege agr. II. 102: non modo vos eritis in otio — —, verum etiam istos, quibus otiosi otium fecissemus, aequae otiosos reddam.

in Cat. II. 18: magno in aere alieno majores etiam possessiones habent, quarum amore adducti dissolvi nullo modo possunt.

ibid.: meo beneficio tabulae novae proferuntur, verum auctionariae.

p. Flacc. 43: (Lysanias) cum rempublicam nimium amplecteretur, peculatus damnatus (nam et qui diligit amplectitur et qui spoliat et intercipit aliquid ex aerario).

In oratt. p. red. ambiguarum contumeliarum, quae vix facetiae nominari possunt, ansam praebuit Clodia ista Quadrantaria, cum qua et fratrem Publium et ejus libertum Sextum Clodium stuprum fecisse arguit. Hinc haec contumeliose dicta nata sunt:

p. dom. 92: ad Clodium: „Vide ne tu te debeas Jovem dicere, quod tu jure eandem sororem et uxorem appellare possis“; de har. resp. 39 uxorem sororemque non discernis; cf. p. Sest. 116. omnia sororis embolia novit; p. Cael. 32. cum istius mulieris viro: fratre volui dicere: semper hic erro; 78. cum suo conjuge et fratre. Quae p. dom. 25. 47. ad taeterrimam impudicitiam pertinent, taedet referre.

p. Sest. 8: (Sestius) ita suum consulem (C. Antonium, Ciceronis in consulatu collegam) observavit, ut et illi quaestor bonus et reipublicae optimus civis videretur.

72: nominibus in tabulas relatis, nomen suum de tabula sustulit.

p. Cael. 6: ut eum poeniteat, non deformem esse natum. (Quod, quoniam illa verbi poenitendi significatio usitata est, vix hic numerarem, nisi Gellius XVII. 1. festivissime et facetissime dictum iudicaret, quod adversarii Caelio formam crimini dedissent, quasi arbitrium ejus fuisset, quali forma nasceretur.)

in Pis. 22: (Gabinus) ne tum quidem quum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunae rotam pertimescebat (de quo Aper in dial. de orat. 23: nolo, inquit, irridere rotam fortunae).

p. Mil. 33: non audeo totum dicere — — movet me quippe lumen curiae (simulat se aspectu S. Clodii et memoria incensae curiae terreri; quanquam libertinus non intelligo quemadmodum „lumen curiae“ nominari possit).

Phil. XII. 26: (Antonii) acerbitas morum immanitasque naturae ne vino quidem (cui deditus fuit) permixta temperari solet.

Phil. XIII. 26: Visejus — — fortis, ut aiunt, latro: quem tamen temperantem fuisse ferunt Pisauri balneatorem (qui temperat balneum).

2) Annominatio: παρανομασία.*)

div. in Caec. 28: Illi — — non te ex Sicilia litteras in Verrem deportase velle arbitrantur, sed — asportare te velle ex Sicilia.

Verr. I. 2. est idem Verres, qui fuit semper, ut ad audendum projectus, sic paratus ad audiendum.

ibid. 40: o portentum in ultimas terras exportandum! (nisi Klotz, Saxonica litterarum mutarum t et d pronuntiatione deceptus, falso annominationem vidit).

ibid. 44: quibus allegationibus illam sibi legationem expugnavit?

II. 129: novus astrologus, qui non tam caeli rationem, quam caelati argenti duceret, eximi iubet — ex anno unum dimidiatumque mensem.

III. 106: Apronium — — imperasse, ut in medio foro sibi lecti sternerentur; cotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico convivari.

ib. 134: qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conservare potuisset.

ib. 148: Alba, tuus antiquissimus non solum amicus, verum etiam amator.

IV. 10: putabant ereptionem esse, non emptionem, cum venditori suo arbitrato vendere non liceret. cf. in Pis. 31. in provincias vel emptas vel ereptas.

ib. 126: Verres ita factus et animo et corpore, ut multo appositior ad ferenda, quam ad auferenda signa esse videatur.

V. 26: (Syraculis) ita vivebat iste bonus imperator, ut eum non facile non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret.

ib. 59: exigere te oportuit navem, quae contra praedones, non quae cum praeda navigaret.

ib. 173: nolo — iudices — sic — notatos, isto absoluto, ambulare, ut non cera, sed caeno obliti esse videantur (cera discolori signo notata tabulae corruptorum iudicum discerni poterant).

de leg. agr. II. 4: hoc honore me affecistis, — — quod meis comitiis non tabelam vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis indicem vestrarum erga me voluntatum — tulistis.

in Cat. I. 27: profeci — ut exsul potius temptare, quam consul vexare rempublicam posses.

de har. resp. 6: (Milo) cognovit, quemadmodum Clodium — — non modo vinci, verum etiam vinciri oporteret.

p. Sest. 66: quae ratio aut flandae aut conflandae pecuniae non reperiebatur? (quae non a Clodio describeretur).

ib. 72: respirasse homines videbantur nondum re, sed spe reipublicae recuperandae.

in Pis. 2: moribus, non maioribus meis (populus honorem deferebat).

ib. 94: neminem invitus invitabis (cum alios iudices habebimus).

p. Cael. 31: cum Clodia muliere non solum nobili, sed etiam nota.

*) omnia huc congressi, non quo in omnibus facetias inesse iudicem, sed ea, in quibus nihil ridiculi inest, nolui discernere. Simul apparebit Zumptium (Verr. IV. 10.) non recte dicere Ciceronem hoc genere multo parcius uti, quam possit expectari a tanto hominis acumine.

ib. 32: quam omnem semper amicam omnium potius, quam cuiusquam inimicam putaverunt.

de aer. al. Mil.: Quid pudeat hominem non modo sine rubore, verum omnino sine ore?

Phil. II. 11: qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis.

ib. III. 22: en, cur magister eius (Antonii), ex oratore arator factus, possideat — — duo millia iugerum immunia (quae Antonius rhetori illi pro mercede dederat).

ib. XIII. 24: cum in gremiis mimarum mentum mentemque deponeres.

ib. 26: homo diruptus dirutusque.

ib. XV. 39: eius viri (Pompei) nomine me insectari audes, cuius te sectorem esse fateare? (Antonius bona Pompei in auctione emerat.)

3) Ridicula nominis interpretatio.

p. Rosc. Am. 124: Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni.

Creberrime Verris nomen ad ridiculum convertit, quod modo ab everrendo ducit, modo suem vel aprum eo intelligi vult. Huc pertinet div. in Caec. 57; repente e vestigio ex homine, tanquam aliquo Circaeο poculo, factus est Verres. in Verr. IV. 95 (quum Herculis simulacrum demolitus esset) ajebant in labores Herculis non minus hunc immanissimum verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere.

ibid. 53: accusatores — — qui ejusmodi hominum furta odore aut aliquo leviter presso vestigio persequebantur. Nam nos quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigiis invenimus?

I. 121: alii negabant, mirandum esse ius tam nequam esse verrinum (ius verinum = aut injuriae a Verre factae aut liquamen suillum) [quod Aper in dial. de or. 23. irridet], alii — sacerdotem exsecrabantur qui verrem tam nequam reliquisset. (C. Licinius Sacerdos ante Verrem pro praetore in Sicilia fuit.)

Huc etiam referendum quod de C. Verrutii nomine, fraudis causa a Verre conficto et in sociorum tabulis accepti et expensi pro Verris nomine, primis litteris integris, interlito, dicit II. 191: videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tanquam in luto, demersam esse in litura?

Ad similitudinem autem nominis et verbi verrendi haec spectant: II. 52. Quam tu domum, quam urbem adisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris? Quare appellentur sane ista Verria, quae non ex nomine, sed ex manibus naturaque tua constituta esse videantur.

II. 18: ex nomine istius, quid iste in provincia facturus esset, perridicule homines augurabantur. — 19: Quo die Siciliam tetigit (videte, satisne paratus ex illo omine urbano ad everrendam provinciam venerit) etc.

IV. 53: Quod unquam, iudices, huiusmodi everriculum ulla in provincia fuit?

IV. 57: Ut hic nomen suum comprobavit, sic ille cognomen (Piso Frugi; quo in Pisonum cognomine ludit etiam p. Sest. 12: erat eo nomine, ut ingenerata familiae frugalitas videretur).

Etiam Chelidonis amicae nomine Verrem illudit I. 104 „qui auspicato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanae provinciae („quia chelidon i. e. hirundo urbem

frequentat, facete urbanam provinciam Chelidonis auspicio meretricis dicit esse susceptam“ (Ps. Asc.) II. 24: satisne magnam pecuniam Venerius homo, qui e Chelidonis sinu in provinciam profectus esset, Veneris nomine quaesisse videtur?

Nimis sagaciter autem div. in Caec. 50 Klotzius odoratus videtur, cum „alienissimis hominibus“ ita dictum esse iudicat, ut in subscriptoris Allieni nomine ludatur (vide Halm). Haec ex Verrinis!

Etiam in Sestiana quaedam nominum interpretationes inveniuntur. 69. Aelius Ligus, tr. pl. anni 58 a. Chr., „cognomen sibi ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius esse quam generis videretur“ (i. e. quo tamen nihil amplius effecit, quam ut qui id cognomen audirent, natione Ligurem, non Aeliorum cognatum existimarent; Ligures enim fallaciarum nomine male audiebant. (Pro Cluent. 72. autem Stajenus (Paetus) „ex gente Aelia sibi cognomen Paeti ex Aeliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis eius esse quam generis uti cognomine videretur“). Ex sequentis anni tribunis duorum nomina perstringit. Alter est Q. Numerius Rufus „quem homines in luctu irridentes Gracchum vocabant, quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempublicam conaretur adrodere“ utrum propter seditiosum animum an propter exilitatem vocis, quae graculi cantum referret, Gracchus nominatus sit, aequales certe non ignorabant, nos nescimus. Nec id nobis certum est, num Cicero eum propter obscuritatem carpens cum mure comparaverit et, quod erat cognomine Rufus, nitedulam i. e. murem agrestem rubeum nominaverit. Alter est C. Atilius Calatinus Gavianus „non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Oleli horreo a calatis Gaviis in Calatinos Atilios insitus“, quo in loco coniecturis multum tentato hoc quidem patet ridiculam nominis interpretationem latere. Ibidem 110 in Gellii, qui Poplicola vocabatur, nomine Cicero iocatur: „usque eo non fuit popularis, ut bona solus comesset“ et „non libidinis causa, sed, ut plebicola videretur, libertinam duxit uxorem“.

Nomine Vatini ludere videtur (in Vat. 6): „omnia quae tu impudenter vaticinando sperare te saepe dixisti“ (consulatum).

Aequae (Clodiae) Quadrantariae nomen interpretatur cum pro Cael. 69. dicit: „Tamen est non infacetum mendacium. Quod profecto nunquam hominum sermo atque opinio comprobasset, nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte viderentur“, quanquam non ex hoc vocabulo, sed ex substantivo „quadrans“ nomen illud Quadrantariae ductum esse apparet, et haec nominis origo significatur verbis 62 „quadrantaria illa permutatione“ et 71 „aeraria fabula“, quam fabulam num Plutarchus (Cic. 29) ad veritatem narraverit, cum Drumanno (G. R. II. 381. 54) dubitamus.

Philipp. XI. 14: Inter „castrorum M. Antoni lumina“ nominat „C. Annium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum Graeco verbo, quoniam omnia iura dissolvit: nisi forte iure Germanum Cimber occidit.“ Dupliciter hic Cicero iocatur: nam primum eum, qui fratrem necaverit, *λέειν δίνας* et patris Lysidici nomine dignum dicit, deinde quia illi cognomen Cimbrum fuit, pro fratre utitur vocabulo Germani, quod aequae ac „Cimber“ oriundum aliquem ex natione significare potest. Eundem Cimbrum XIII. 26. ob illam fratris germani caedem nomine Philadelphi per ludibrium notat. cf. Quintil. VIII. 3. 29.

Praeterea nomina propria saepius ita ad ridiculum vertuntur, ut cum nominibus

appellativis permutentur, quod iam supra de Verris (verres = sus) nomine commemoravi. Quas permutationes, quanquam etiam in ambigue dictis numerare licuit, hoc loco congesi.

p. Cluent. 71. (Stajenus iudices corrumpere conatur, initium faciens a Bulbo.) „conditor totius negotii Guttam (guttam) adspersit huic Bulbo (bulbo). Itaque minime amarus iis visus est, qui aliquid ex eius sermone speculae degustarant“. Drumann et Klotz etiam conditor et Klotz „spe gulae“ audiri potuisse existimat, quod mihi nimium videtur. Quo facilius verborum ambiguitas intelligatur, Drumanni (G. R. VI. p. 603) interpretationem adiungo: Stajenus, ein Richter im Prozesse des Oppianicus, sollte Andere bestechen; wie er immer das Letzte zuerst that, machte er den Anfang mit Bulbus — mit der Zwiebel, die am Tische später folgt — und er, von dessen Hand Alles zubereitet wurde, — conditor — befeuchtete Bulbus mit Gutta — einem Tropfen — dadurch, dass er auch diesem Geld versprach.

p. Sest. 135. (Vatinius simulaverat se bestiarios potius habere quam gladiatores; unum gladiatorem confitebatur, cui nomen Leoni fuit.) Praeclara aedilitas! Unus Leo (leo), ducenti bestiarii.

in Pis. 67. ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat. (Pisonis avus enim Gallus fuerat et praeco Mediolani.)

p. Planc. 85. admonefecisti etiam, quod in Creta (in creta = candidatus) fuisses, dictum aliquod — dici potuisse, me id perdidisse.

p. Scaur. 6. constat illam (quam Scaurus amasse arguebatur) cum deformitate summa fuisse, tam senectute. Quare quae potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis aut amoris esse suspicio? (Sarda est et mulieris e Sardinia oriundae et piscis salsamentarii nomen.)

Phil. II. 62. accessit, ut . . . magister equitum constitueretur. tum existimavit se suo iure cum Hippiā (*ἵππαρχος*) vivere.

XII. 20. quum aquilae primi pili nummos aureos daret, de meis bonis se dare dixit; si enim de suis dixisset, ne aquilam quidem ipsam credituram putavit. (Graevius quidem Ciceronem ludere putat in ambigua voce Aquilae, quae et centurionis nomen esset et signi legionis.)

XIII. 11. de Falerno Anseres depellentur (Anser ab Antonio Pompei Falernum acceperat; anseres autem imprimis edaces sunt).

XIII. 27. (Inter socios castrorum Antonii) est etiam Decius ab illis, ut opinor, Muribus. Itaque Caesaris munera rosit.

4) Versus facete interponuntur

saepius in rebus seriis, quam risus movendi causa. In hoc genere numero:

p. Rosc. Am. 90. de accusatoribus a Sulla occisis: Quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?

p. Mur. 30. Enni quibusdam versibus ars boni oratoris imperatoriae arti postponitur; et 60 verba „non multa peccas, sed peccas; te regere possum“, quibus Catonis nimiam severitatem perstringere incipit, ex vetere fabula sumpta videntur.

In Sestiana 118—126 qui afferuntur versus, ii nihil ridiculi habent praeter illud:

„mater te appello“ ex Pacuvii Ilione, quod Appius subito exurgens ex tabulis dicturus videbatur (126).

p. Cael. 18. Medeae Ennianaе versibus: Utinamne in nemore Pelio etc. conqueritur Caelium, conducta in Palatio domo, propter vicinitatem a Clodia „Palatina Medea“ pellectum esse, 36. ejusdem mulierculae minimum fratrem comico quodam versu cum sorore loqui facit, 37. verbis Caecilianis persona patris modo vehementis et duri, modo lenis et clementis sumpta Caelium propter meretriciam istam vicinitatem jocose objurgat.

in Pis. 61. consularis administrationis rationes eius scite et litterate perscriptas Plautino carmine notat: „ratio quidem hercle apparet, argentum οἷχεται“, quod scribam caput sinistra manu perfricantem commurmuratum esse dicit.

Phil. II. 65. (Antonius in Cn. Pompei copias cum se ingurgitasset, exultabat gaudio persona de mimo, modo egens, repente dives. Sed, ut est apud poetam nescio quem „male parta male dilabuntur“ etc. 104: (de Varronis fundo ab Antonio occupato) „o tecta misera quam dispari domino“.

XIII. 49. „Prius undis flamma, quam aut cum Antoniis respublica aut cum republica Antonii redeant in gratiam“.

5) Proverbia

a Cicerone in idem genus coiciuntur ac versus, sine dubio quia eorum, quoniam aliquid aliunde notum afferunt, audienti iucunda est commemoratio. Quae huc pertinent sunt haec:

p. Rosc. Am. 80. videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle.

in Verr. I. 53. citharistam, de quo saepe audistis id quod est Graecis hominibus in proverbio, quem omnia intus canere dicebant, sustulit (quod proverbium ne Asconii quidem interpretatione satis liquet, sed idem etiam de leg. agr. II. 68: „hoc carmen hic non vobis, sed sibi intus canit“ de eo usurpatur, qui agit aliquid, cuius utilitas ad neminem alium praeter ipsum perveniat).

Verr. IV. 12: „Profecto hinc (i. e. Verris simulata emtione) natum est: malo emere quam rogare.“

p. Flacc. 46: „Hic hercle cornici oculum, ut dicitur“ et p. Mur. 25: „Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit“ cf. Schol. Bob. ad Flacc.

Phil. XIII. 27. illud verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. Fracta sunt et vivit.

6) Exemplum eiusmodi ut res ad verbum,

non ad sententiam accipiatur, nullum inveni, nisi quaedam ambigue dicta huc referuntur.

7) Immutatio (Allegorie).

Verr. IV. 7. (Verres signum) nullum reliquit praeter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor; eam iste habere domi suae noluit.

ib. at non requirebat ille Cupido lenonis domum ac meretriciam disciplinam: facile illo sacrario patrio continebatur.

p. dom. 110. de libertate. Eam tu domi meae collocasti, quam ex urbe tota sustulisti?

8) Unius verbi translatio (Metaphora).

p. Quint. 80. O hominem fortunatum, qui eiusmodi nuntios seu potius Pegasus habeat! (qui biduo Roma trans Alpes in Segusianos venerant).

p. Rosc. Am. 98. Suis manibus in curru collocat Automedontem illum (Mallium Glauciam, qui decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit).

Verr. V. 146. Verres infestior quam Charybdis et Scylla „quod multo se pluribus et immanioribus canibus succinxerat“ et „Cyclops alter multo importunior“ dicitur.

Item de har. resp. 59. Clodium, qui tantas praedas exorbuit, cum Charybdi comparat et, qui canibus suis eminentibus et ieiunis rostra ipsa mandit, cum Scylla.

p. Cael. 18. Clodium nominat „Palatinam Medeam“, sicut accusator Caelium „pulchellum Jasonem“ appellaverat.

Phil. II. 67. de Antonio: Quae Charybdis tam vorax?

9) Inversio verborum (Ironie).

p. Flacc. 46. Habebat rhetor adolescentes quosdam, quos dimidio redderet stultiore quam acceperat. Neminem tamen adeo infatuare poterat, ut ei nummum ullum crederet.

p. dom. 110. ad Clodium, qui Bonae Deae sacra polluerat: „At quae dea est? Bonam esse oportet, quandoquidem est abs te dedicata“.

Phil. III. 22 (de Antonio). Nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intellegat dicere? En cur magister ejus S. Clodius possideat duo millia iugerum immunia, ut hominem stolidum magis etiam infatuet mercede publica.

10) Verba relata contrarie (*ἀντιθετα*).

de leg. agr. II. 44. cum Nullus decemviros creari vellet legi aerariae „primum tum populi Romani hereditatem decemviri iudicent, cum vos volueritis de privatis hereditatibus centumviros iudicare.“

Haec igitur ex orationibus collegi utriusque generis facetiarum exempla: quibus ea potui addere quae non pauca in epistolis extant aut ex quotidiano sermone et ex iudiciorum altercationibus a Plutarcho et Quintiliano afferuntur; sed tametsi haec, quae in iudiciis facete dixit, non abhorrent a munere oratorio, tamen consistere oportet in iis quibus hanc disputatiunculam circumscripsi finibus.

Dr. Anton Haacke.